

DEI MISERATIONE ET SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE GRATIA
EPISCOPUS VILNENSIS

S. Th. Dr.

Venerabili Clero dioecesis Vilnensis

Salutem et pastorem benedictionem.

Tempora et conditiones, in quibus versamur, urgent me, Carissimi Fratres, ut haec praeprimis in memoriam Vobis revocem:

I. Proprium ac gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est cateheticam populi christiani institutionem curare (can. 1329). — Debet parochus pueros non solum ad sacramenta rite suscipienda singulis annis praeparare, sed etiam ne omittat pueros, qui primam communionem recenter receperint, uberius ac perfectius catechismo excolere (can. 1330 — 1331). Diebus dominicis aliisque festis de praecepto, ea hora, quae suo iudicio magis apta sit ad populi frequentiam, debet insuper parochus catechismum fidelibus adultis sermone ad eorum captum accommodato, explicare (1332). Itaque rogo Vos atque obsecro, Fratres Carissimi, ut tum puerorum tum populi institutioni catecheticae assidue incumbatis; hoc opus est maximi momenti tum sub respectu religioso tum sub respectu sociali.

V. Ne Vos contentionibus politicis tradatis. Vestrae partes sint Jesu Christi partes et Catholicae Ecclesiae. Sicut Jesus Christus, Dominus noster, omnes homines infinito amore amplexus, pro omnibus, etiam inimicis, in ara crucis seipsum hostiam obtulit; ita et Vos, sine ullo nationis vel alio quocunque discrimine omnes homines amore prosequimini, omnium aequo modo saluti adoperiamini, imitantes illud S. Pauli apostoli: «Et factus sum iudaeis tanquam iudaeus, ut iudaeos lucrarem, iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege), ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem, iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos» (I Cor. cap. IX. 20—22).

VI. Instructionem puerorum, iuventutis, populi omni diligentia promovete, sed simul vigilate, ut haec instructio iuxta principia religionis Catholicae peragatur. Variis operibus socialibus, quae tempora postulant, incumbite, sed semper bonum quoque spirituale fidelium prae oculis habentes. Praesertim omni quo potestis modo miseriae et inopiae eorum, qui bellis exhausti, fame et morbis pereunt, succurrite. Cavete tamen, ne in Vos suscipiatis neve Vos immisceatis eiusmodi rebus ac negotiis saecularibus et profanis, quae animum populi a Vobis avertere vel etiam odium in Vos suscitare possint. Si quae eiusmodi necessaria esse appareant, curate ut ea Vobis adiutoribus et curatoribus per probos homines laicos gerantur.

Et ipsi orate et populum ad orandum hortamini, ut Divina benignitas tam diu expectatam pacem et veram populorum concordiam donare dignetur.

In Vestris arduis laboribus, quos non obstante saepe saepius omnium rerum inopia et ipsius vitae periculo sustinetis, assistat Vobis, Fratres Carissimi, Deus omnipotens gratia sua et Vos benedicat.

† Georgius Eppus Vilnensis.

Datum, Vilnae die 28 iunii 1919 anno.